

12

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**DYSENTERIA
HEPATICA**

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBlico ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE
AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD D. MART. ANNO MDCCXLVII.

H. L. Q. C.

ERVDITORVM SVBIICIT EXAMINI

AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS GOTTHILF GEORGI
HALENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DYNA
MICA

PER ISAGORAS THYMARCHO

TO THEORETICOS

ON LOGIC

ON PHYSICS

ON METAPHYSICS



§. I.

Dysenteriae nomen quum iam antiquitus, atque inde ab HIPPOCRATIS & GALENI temporibus, diuersis sanguinolentis alii deiectionibus fuerit attributum, operæ pretium fore videtur nec ab instituto alienum, varias eius significationes, vel in antiquissimorum, vel quorundam recentiorum monumentis, quae litteris consignata exstant, obuias, breuitate quanta potest maxima hoc loco perlustrare, quo postmodum inde clarius eluceat, quid morbi voce hac mihi veniat intelligendum, quo isque pacto a reliquis quibuscumque cruentis alii profusioribus dissideat. Dysenteriae enim appellationem priscæ vetustati tam latissime patuisse ex GALENO & HIPPOCRATE constat, ut quaslibet cruentas ventris fluxiones, siue sinceras atque non permixtas, siue aliis sordibus, velut muco-sis, biliosis purulentisue comixtas & mutatas hoc nomine comprehendent ^{a)}, cuius vestigiis nec pauci re-

A 2 centio-

^{a)} RIVERIVS Prax. med. Libr. X. Cap. VI. p. 300. HOLLERIVS Libr. I. de morb. intern. Schol. ad Cap. XLIII. p. 201. & seqq. ETTMULLERVS Colleg.

Dissertatio inauguralis medica

centiorum institerunt hoc vocabulum æque amplis limitibus circumscribentium, quos hic omnes appellari, nihil attinet, neque dissertationis ratio permittit. Namque quatuor dysenteriae apud HIPPOCRATEM & GALENV M reperiuntur ^{b)}, quas leuiter duntaxat transire non abs re erit. Quarum prima suos ducere natales GALENO scribitur a sola sanguinis, toto corpore redundantis copia, qui ex apertis vasorum orificiis in intestina effusus, certis periodis, sincerus rubensque alio eiicitur, quæ propterea GRAECIS quoque δυσεντερία διματηρία ή διματάδης ^{c)}, DECKER O autem fluxio alui sanguinea atque ETTMVLLERO pluribusque aliis diarrhoea sanguinolenta dici confueuit: quoniam crux purus sine ulceratione & dolore excernitur. Quam HIPPOCRATES iis omnium præcipue perhibet euenire, quibus artuum, velut pes, brachium, esset truncatus: GALENV S vero sese huiusmodi sanguineas dysenterias non solum vidisse dicit in iis, quibus membrum quoddam præcism, sed in aliis etiam, qui ab exercitatione & laboribus se ad inertem vitam desidiosamque contulissent, imo eas subinde eiusmodi hominibus accidere, quibus alia sanguinis excretiones solennes, ut per nares, per hæmorrhoides, per menses, suppressæ sint. Neque insolenne esse, eas aliquando, per modum criseos, certis quibusdam febribus acutis

Colleg. pract. de morb. C. H. Cap. IX. p. 143. BALLONIVS Con-
sil. §3. Lib. I.

^{b)} GALENV S de symptom. caus. Lib. III. Cap. II. & de loc. affect. Lib.
II. Cap. V.

^{c)} BALLONIVS loc. cit. HOLLERIVS loc. cit.

acutis superuenire salutari euentu; id quod Practicorum quoque obseruationes abunde testantur *d).*

§. II.

Altera Dysenteriae species ea a GALENO eiusque sectatoribus esse traditur, in qua crux aquosus vel satius serofus, a lotura carnium, recens mactatarum, parum vel nihil abludens, per interualla aluo extruditur, quem quum ex hepate solo effluere & ad intestinorum sentinam permanare contenderent, hinc eam *ηπατικὴν δυσεργέλαν* nominarunt (*e*). Tertia eidem est, quum sanguis ater, melancholicus splendensque eiicitur, quam proinde BIANCHI internas putat haemorrhoides (*f*). Quæ tandem quarta dysenteria a laudatis rei medicæ optimatibus numeratur, qua mucosa purulenta profluui, sanguineis strigmentis perfusa, & minutim, & dolenter, crebriusque, quam pro necessitate atque excrementorum copia, aluo eiicitur, ea hodie simpliciter & proprie dysenteria appellari solet, quemadmodum quoque antiquissimis quibusque, GALENO teste (*g*), iam ita & velut *κατ' ἐξοχὴν* usurpari est solita.

§. III.

Ecce tibi hic quaternas istas dysenteriae differentias, a rei medicæ Maioribus vel antiquissimis statutas, & a multis aliis paulo recentioribus, quin etiam quibusdam recentissimis, itidem adoptatas, quas tamen omnes, præter illam, qua sanguis multo sero dilutus excernitur,

A 3

quium

d) ETTMULLERVS loc. cit. DECKERVS Exercit. pract. pag. D. XXX. II.
HOLLERIVS loc. cit.

e) HOLLERIVS ibid. BIANCHI Histor. hepatic. Part. III. §. IV. pag. 459.
BRENDELINVS Dissert. de flux. hepatic. §. V.

f) loc. cit. pag. 460.

g) de symptom. caus. Libr. III. Cap. II.

quum ad me non pertineant, missas facio, eam hac dia-
tribe duntaxat expendendam suscepturnus, quæ a veteri-
bus *dysenterie hepatica* nomine cieri assolet. Quid cau-
ſæ sublit, quam ob rem sanguinolenta hæc alui excretio
antiquitus *dysenteria* nomine fuerit insignita, id ex su-
pra dictis fatis apertum & perspicuum est: quare hoc
loco repetere nolo. Cūr vero *hepatica*, TRALLIANO
autem *iecinorosa*, vocata fuerit, caufa hæc est. Vene-
randa antiquitas ſibi persuadebat, iecinoris esse, chylum
per vasa mesaraica attractum, in sanguinem conuertere,
quum vero in morboſa hac afflictione cruentum valde
dilutum & aquosum videret alio exclusum, non dubita-
uit, hanc ventris fluxionem ſoli hepatis vitio & culpæ
dare, eius imbecillitatē potiſſimum incusans. Quid
vero argumenti hæc veteribus recepta habeat opinio &
hypothetis, qua iecinori *diueratōres* munus affinxerunt,
id disquirere nec volumus nec attinet, maxime quum
THOMAS BARTHOLINVS huic visceri officium fan-
guificandi, iam diu abrogauerit, mihi met fatis effe pot-
est, hic breuiter tantum atque ē *παρόδη* oſtendifle, quare
prisci *dysenteriae* huic cognomen *hepatica* inprimis
dederint.

§. IV.

Praeter hanc *Dysenteriae hepatica* denominatio-
nem, huic morbo antiquitus impositam, variis etiam
aliis nominibus, multis poſt ætatibus demum appellari
coepit, quorum hic meminiſſe ex viſu erit, quum *dysen-
teriae hepatica* vocabula viſitatoria hodie ſint ac tritiora.
Etenim apud rei medicæ scriptores haud inſolenter
quoque sanguinolentus hic ventris fluxus *lotricus fluxus*
vocari

vocari solet *b*); fortasse eo, quod deiecta alui proluuies, colorem aquæ, in qua carnes recenter maestatae fuerunt ablatae, refert. Plerique vero recentiorum, quibus dysenteriae appellatio videtur minus congrua, antiquato hoc nomine hunc morbum hepatici fluxus nomine designarunt, quo nostra memoria in medicorum scholis creberrime atque visitatissime celebrari solet. Quid vero BIANCHI impulerit, aduersam hanc valetudinem plane nouo atque insolito nomine catarrhi hepatis insignire id hoc data opera perquirere nolumus, persertim cum argumenta illa, quibus hanc a se exstructam nuncupationem tueri sustinet, in eius historia hepatica fuisse relata legi possint *i*).

§. V.

Prius vero quam ad nostrum morbum expendum progrediamur, expediet quam breuissime ostendere, quod medici, cum primis recentiores, de hepatico hoc alui profluvio in alia ire soleant omnia. Quodsi enim villa est magna inter medentes dissensio: certe est de cruenta hac ventris profusione: neque enim de germana huius mali sede, neque de fontibus, vnde cruentum istud serum, in hac affectione alio excerni solitum, emanat; quid? quod nec de exsistentia quidem huius morbi inter eos conuenit. Sunt quippe, qui iecinoris hanc fluxionem omnino in dubium reuocare non verentur, quemadmodum FRANC. SYLVIVS, cui huiusmodi hepatica alui deiectio dubia videtur, eo duntaxat nomine; quod talis alui proluuies non

b) HOLLERIVS libr. cit. schol. ad Cap. 45. p. 210. FORESTVS in schol. ad obseruat. XXIV. Libr. XXII. de proflui. alui.

i) Part. III. §. III. pag. 459.

non sibi vñquam in sua praxi visa, qualis a maioribus descripta legitur *k*). Cui alter testis succedit ETT-MULLERVS, haud sane obscure itidem præ se ferens, sibi hepaticum eiusmodi fluxum valde suspectum esse atque incertum, tametsi veteres perinde ac recensiones complures, multa de eo clamitassent & conscriblassent *l*). Nec illis PAVL. BARBETTE cum DECKERO aliisque ablusisse videtur, sanguineam hanc deiectionem nihil aliud existimans, nisi superiorum (i. e. internarum) haemorrhoidalium venarum apertioinem, ex quibus crux in intestina destillaret *m*): vt ceteros, qui eiusdem sunt sententia, taceamus.

§. VI.

Neque de scatebris & causa huius mali inter se autores consentiunt. Quippe SYLVIVS disertissime perhibet, si qua forte existeret hepatis fluxio, eam tamen vix ab illa alia causa esse deducendam, quam a solo abundante sero, sanguini admixto, & mefaraica vasa simul relaxante *n*), cui ETTMULLERVS assentitur, præcipue dicens, si cui forte placeret, talem defendere fluxum, veteribus hepaticum dictum, ipsi tamen nullam aliam assignari posse causam, quam sanguinis nimiam aquositatem & tenuitatem, ob seri redundantiam vnde mefaraica vasa vsque eo redderentur laxa atque hiantia, vt aquoso crux per ea aditus ad intestina pateret expeditissimus. Quo etiam nomine hunc morbum nequam *hepaticum fluxum*, sed potius *sanguinolentam diarrhoeam*

k) Prax. med. libr. I. Cap. XIII. §. 24. p. 102. & §. 47. pag. 108.

l) Libr. & Cap. cit. pag. 151.

m) Pract. libr. Cap. 6.

n) loc. cit.

arrhaem censet appellendum. Ex quibus proinde paucis in medium adductis ipsa luce clarior appariturum putem, quam variæ, quam inter se dissidentes de hoc morbo opiniones etiamnum Medicorum, vel doctissimorum, animis infideant, ad quas paululum explicandas ac cedere operæ pretium mihi visum est, ut inde magis liqueat, non esse omnium, qui de hepatica dysenteria aliquid litteris prodiderunt, eandem sententiam. Alii enim, iisque plurimi, cum antiquissimis in hoc affectu hepar potissimum accusant, idque mali huius fomitem habent; alii contra hoc negant etiecur plane insons atque inculpatum declarant. Quidam cruenta ista, quæ alio redduntur, de solo iecinore deriuant; nonnulli vero eadem ex hæmorrhoidalibus vasis solummodo deducunt; alii vtrumque negant, istaque ex solis meseraicis venis elabi statuunt.

§. VII.

Verum enim vero quum tam multa, tamque amplissima rerum testimonia, ab ipsis cadaueribus, hoc morbo extinctis, deponita, atque ab aliis magnæ doctrinæ & existimationis viris, velut a BONTIO, BALLONIO, IORDANO, DRELINCVRTIO, in contrarium adducta, existent, quibus non existentia solum diuturni huius mali demonstrata, sed vera quoque eius scaturigo detecta atque omnium oculis subiecta est: certe non stultum dicam & absconum, sed temerarium atque inconsideratissimum fore, illud dubitare atque adeo negare, quod tam cerebrima obseruatione atque experientia confirmatum & ab omnium reclamatione iam pridem satis superque vindicatum. Quodsi vero germanam causam, cur supra nominati viri de hepatica hac

B

dysen-

dysenteria disputent, inquiramus, vix vlla huius dubitationis alia subsuisse videtur, quam quod eiusmodi cruenta alui profusio, ex hepate manans, ipsis forte in suæ artis exercitio nunquam obvia fuerit facta. Quam leuis vero infirmusque hic medius sit terminus, quo tanti vi-ri hunc morbum, iam antiquissimis atque scientiæ medicæ principibus obseruatum, in dubitationem ad-ducere amixi sunt, id iudicari facile ab iis poterit, qui logiken didicerunt saniores. Operam igitur frustra mihi videor contritus, pluribus hoc loco argumentis, multa sedulitate vsquequaque conquisitis eorum opinio-nes labefacturus, maxime quum hodierno die non fa-cile deprehendatur qui de hepatici fluxus existentia am-bigere soleat.

§. VIII.

His itaque, quoad eius necesse fuit, præstructis, in eo iam est; vt ad ipsius iecinorosæ dysenteriæ veram indolem & naturam curatus explicandam ingrediar. Quoniam vero, CICERONIS monito, omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficiisci, vt intelligatur, quid sit id, de quo dis-putetur: meum quoque erit hepatici fluxus prius tradere definitionem, quam ad genuinum eius genium planius expediendum deueniam. Est igitur hepatica dysenteria, aut, si mauis, fluxio ea alui, excretio, qua primum cruar admodum serosus & dilutus, carnium loturæ persimilis, postea vero, ingrauescente malo, ob varias alienæ indolis ei admixtas fordes, qualitate, colore & consistentia diuersus, per interualla, fine notabili dolore deicidetur. Quo autem acerbæ huius calamitatis veram originem, conceptaculum & fedem

sedem clarius perspiciamus, quam veneranda antiquitas in solo hepate collocavit, quibusque recentiores accessisse obseruantur frequentissimi; vtique permagni intererit, veram eius & genuinam historiam hoc loco subtexere: ea enim cognita nullius erit negotii, de illa corporis parte, in qua potissimum huius mali fomes occultatus gliscit, atque de iis fontibus, vnde rubellus iste latex, qui alio subinde egeritur, tam copiosus emanat, liquidius certiusque indicare.

§. IX.

Obrepit vero hic morbus homini velut tacitus, nec fere intellectus, ita vt initio vix vllis fese aliis prodat signis, præterquam sola subcruenta alui deiectione, mora interposita, quæ loturæ carnium aut sanguini, quem aqua diluerit, similiima longe esse solet, nullis ramentis, nec cordibus purulentis remixta, neque facile cuiusdam doloris, ardoris aut mordacitatis sensu stipata o). Ciborum appetentia, morbo hoc incipiente, non integra modo atque incorrupta p), verum aliquando etiam longe auctior obseruatur impensiorque q), neque fitis quædam r) neque febris s) ægrotum vrunt. At malo hoc pedentim paulo altiores radices agente atque increbescente, corpus segne redditur & iners, accedente iam demum febre initio tamen adeo obscure gliscente, vt, monente GALENO, vix sentiatur, propter eaque

B 2

ab

o) LOMMIUS Observ. medic. Lib. 2. p. 182. RIVERIVS loco cit. p. 307.
BIANCHI loc. cit.

p) HOLLERIVS Lib. cit. Cap. 45. p. 209.

q) GALENVS de loc. affect. Libr. 5. Cap. 7.

r) HOLLERIVS loc. cit. RIVERIVS loc. cit.

s) LOMMIUS loc. cit. p. 184.

ab imperitis negligatur; in dies vero, prout mali huius vis inualuerit, sensim sensimque inardescente atque ingravescente τ). Cui tum denique, socia sese paulatim adiungunt cibi fastidium, sitis successiue vehementior, somnus interruptus nec reficiens, pulsus celer & frequens, cum aliqua eaque successiva virium corporis astura, vrina rubet & biliosis scatet inquinamentis. Floridus viuidusque corporis, & sigillatim faciei, color in pallidum sensim, tandemque liuidum cinereum mutatur π) cum deformi palpebrarum inflatione. Excrementa, quæ alio redduntur, cruda sunt, & temporis successu variam indolem induunt. Ipsa etiam ventris profusio, quamvis per interualla contingat, & principio colore & consistentia sanguini, multa aqua diluto, quam proxime accedat; sibi tamen non semper constat, sed vaga inordinataque deprehenditur, dum, morbo hoc incrementa capiente, haud insolenter per vnum alterumue diem, quin etiam aliquando per triduum, industias facere animaduertitur χ), ita ut ægrotantes sese omni periculo exemptos arbitrentur. Verum hæc lætitia ipsis minus duiturna est, dum mox deterius recrudescit & recurrit frequentior & cumulatior γ) deinde quoque pristinum mutat genium: illuuiies enim, quæ prius subcruenta & aquosa ferebatur, tractu temporis magis limosa velutque in grumos coacta, (cui etiam haud raro aliæ sordes, in primis biliosæ, intermixtæ hærent ζ) excre-

τ) GALENVS loc. cit. LOMMIVS loc. cit.

π) BRENDELIVS Dissert. cit. Bianchi loc. cit. p. 458. RIVERIVS ibid.

χ) GALENVS de loc. affect, Libr. VI. Cap. II, LOMMIVS ibid. BIANCHI ibid.

γ) GALENVS loc. cit.

ζ) BIANCHI loc. cit.

excreta spectatur *a)* nouissimeque ipsa quoque atra bilis, seu sanguis niger & spissus, pici liquidæ similis, interdum deiicitur *b)*. Tandem quoque, quod ad ceteras eius dotes attinet: diuersa deprehenditur hæc alui excretionis, modo enim copiosior est & affluentior, modo minus copiosa: nunc parum foedens, nunc grauius olens. Quibus symptomatibus insuper obtusis quidam & aggravans dolor, dextrum tantum hypochondrium affligens, plerumque comes hærere solet, cum insequente tumore pedum edematoso. Quid? quod ipsum hoc hypochondrium identidem aliquibus intumuisse spectatur. Ceterum aliquando, quamvis rarius, accidere solet, ut sanguis in eiusmodi ægrotis *αὐτομάτως* per nares per uterum, per haemorrhoides, aut per os cum sputo *c)*, quin etiam per cutaneos poros *d)* erumpat. Malo hoc denique diutius protracto, vel pertenuis vel nulla spes reconualescendi amplius affulget, & nihil certius exspectari potest, quam funestus exitus, quem insequens hydrops vel marasmus affert.

§. X.

Perspecta nunc vera hepatici fluxus indole & natura, qua auspicatur, progreditur, & subinde desinit, facile iam erit atque expeditum, hanc ventris profusionem acunctis aliis alui deiectionibus dignoscere. Quid enim nostro morbo discriminis cum ista intercedat dysenteria, quæ Græcis *αιματηρα* vel *αιματώδης*, Latinis vero sanguinea dicitur, quamque ET T M V L L E R V S sanguinolentam

B 3

tam

a) GALENS Loc. iam cit. LOMMIVS ibid. HOLLERIVS loc. cit.

b) LOMMIVS ibid. HOLLERIVS loc. cit.

c) LOMMIVS ibid. BRENDELIVS Diff. cit.

d) BIANCHI loc. cit.

tam diarrhoeam simpliciter censet appellendam e), id cuius ex tradita morbi historia esse poterit luculentissimum. Namque in sanguinea hac dysenteria, aut, si magis arriserit, diarrhoea, sanguis purus & sincerus, florido & coccineo plerumque colore praeditus, multa copia, inter desidendum subito prorumpit subitoque definit f). Deinde quum soli sanguinis nimiae vbertati potissimum accepta sit ferenda, iis nonnunquam per modum *urgescere* summaque cum *evacuare* accidisse animaduersa est, item, quibus artuum aliquis fuit amputatus, aut aliae solennes sanguinis excretiones vndeliber suppressae; aut qui febribus acutis continuis, in primis ardentibus, conflictantur, vbi redundans crux sincerus atque impermixtus *urinare* per anum efferi solet, quemadmodum id pluribus exemplis, a RHODIO g) ZACVTO LVSITANO h), PAVLO BARBETTE i), DECKERO aliisque memoriae proditis, facile ostendi potest. Quae omnia in nostra hepatica fluxione minime sunt obvia, vt pote in qua sanguis, ob admixti seri abundantiam, valde dilutus & aquosus, idque per interualla alio excluditur. Vnde liquido apparet, vtrasque corporis affectiones plurimum inter se dissidere.

§. XI.

Neque arduum est, iecinoris profluum ab haemorrhoidibus, iisque internis, discernere: quippe quae vix vnguam adeo tacitae prorumpere animaduertuntur, sed

e) Libr. & cap. cit. pag. 139, 143. & 151.

f) LOMMIVS loc. cit.

g) Centur. 2. Obseruat. 85.

h) Medicor. princip. histor. obseruat. 84.

i) Libr. & loc. cit.

sed plerumque cum quodam doloris, ardoris aut tensio-
nis alicuius sensu; quantum vis sæpius mediocri aut mi-
nori, in recto potissimum intestino eiusque exitu vigen-
te, deprehuntur comitatae, id quod Dn. PRÆSES, Præ-
ceptor omni pietate æternum deuenerandus, itidem ad-
notauit *k*). Deinde etiam iisdem cruor ordinarie purus,
nec seroso quodam liquido perfusus, nunc ratitus flui-
dusque, nunc valde spissus & niger aterue ano effundit-
tur: id quod multo aliter sit in iecinoris fluxu, quippe
in quo cruenta non ylo cuiusdam doloris, ardoris aut
alterius acerbitatis sensu ano effunduntur, sed plerum-
que placide sedateque feruntur *l*). Deinde sanguis, qui
ex alio defluit, haud quaquam merus atque impermix-
tus est, sed plurimo sero perfusus valdeque dilutus cer-
nitur. Cetera, quibus ab hæmorrhoidibus discrepat, vt
inpræsenti silentio transeam.

§. XII.

Quemadmodum vero hepatica deiectio a dysenteria
magis proprie sic vocata differat, nemini obscurum erit,
diuersa ista symptomata, quæ vtrasque afflictiones indi-
viduo comitatu affectantur, curatius perpensuro. Et-
enim in vera dysenteria eluuiæ mucosa vel saniosa, san-
guineis strigmentis perfusa, pluribusque ramentis veluti
membranaceis identidem permixta, crebrioribus atque
exiguis interuallis idque minutim, cum acerbissimis in-
testinorum cruciatibus excutitur; præter quos etiam
multus, in ano dolor, multa rosio multaque ac frequens
desidendi cupiditas cum tenesmo & febre acuta, nunc
leuio-

k) Conspect Medic. Theoret. præst. Tab. XI.

l) RIVERIVS loc. cit. LOMM. loc. cit. BIANCHI libr. & loc. cit. pag. 457.

leuiore, nunc grauiore, adeſt. Accedit etiam illud quod
 uar' ἐξοχὴ sic dicta dysenteria certis tantum anni tempo-
 ribus ſeuiait, per vniuersum ſaþe populum late ſtragem
 edendo. Quæ omnia in noſtra ex hepatis viſcere ma-
 nante dysenteria nequaquam occurruunt, vt pote quæ
 omnino indolens exiſtit, neque minutatim & pereſigue,
 ſed multo affluentius, nec tam crebris atque breuibus,
 ſed multo longioribus interuallis; neque ſtatutis anni
 tempeſtatibus, ſed promiſcue nullaqe anni temporum
 ratione habita, contingit; vt tacitus præterea inſigne
 diſcrimen illud, quod inter vriuſque morbi excreta in-
 terfeſe ſpectatur. Ergo nihil erit negotii morbum alte-
 rum ab altero internoscere.

§. XIII.

Quomodo tandem hic morbus a reliquis alui fluxi-
 bus, e. g. a diarrhoeis, pituitofa, biliosa aut purulenta;
 item ab haemorrhoidibus albis, diſcrepet, hoc loco ver-
 bosiſus exponi nihil attinet, quum neminem tam obtuso
 ingenio arbitres eſſe futurum, quin facili negotio ex iis,
 quæ hucusque de noſtro morbo tradita ſunt, ceteris alui
 deiectionibus fit diſcreturus. Quocirca ne quid forte
 reliquum feciſſe videar, breuiffime hic tantummodo di-
 cam, qua ratione noſtra dysenteria diſcrepet ab iſto affe-
 ſtu, qui morbus a nonnullis niger HIPPOCRATIS ^{m)},
 ab antiquis vero vomitus melancholicus vel vomitus atrœ
 bilis ⁿ⁾ vſurpari aſſolet. Conſiſtit vero hoc malum in
 excretione ſanguinis nigri, atri & congrumati, qui par-
 tim vomitione per os partim vero alui fluxu foras eiici-
 tur, cum inflatione hypochondrii ſinistri, anxietate &
 præ-

^{m)} FRID. HOFFMANNS diſſert. *de morbo nigro HIPPOCRATIS*,
ⁿ⁾ FORESTVS Libr. 18. obſeru. 17.

præcordiorum angustia, appetitu deiecto, virium prostratione, cardialgia, syncope & truculentis persæpe colicis doloribus ^{o)} , propter lienis vel infarctum, vel opilationem. Verum enim vero quum ex allata hepatici fluoris historia satis constet, in eo sanguinem duntaxat dilutum, carnum loturæ proxime accedentem, primis morbi temporibus, per aluum solummodo excerni, qui demum, malo hoc sensim sensimque diurnitate temporis augescente spissior, fæculentior & nigrior eliminatur; præterea nihil sanguinis visitate in nostro morbo vomitu per os reiici, neque eum vllis doloribus facile esse stipatum, nec sinistrum, sed dextrum hypochondrium in eodem esse affectum: tum sane promptissimum erit cognoscere, quantum utriusque inter se morbi distent & diuersi sint.

§. XIV.

Iam quoque conuenit dispicere, quo pacto ipsum hoc ventris effluvium a rei medicæ proceribus dispertiri confuerit. Verum nec in hoc unus est omnium medentium sensus, quippe aliquibus est solenne hepaticam hanc fluxionem in exquisitam seu legitimam & spurim dispescere, quam diuisionem RAYM. IOH. FORTIS in medium protulisse videtur, cui plerique alii adstipulan-^{r p)}. Legitimus seu verus hepaticus illis dicitur esse fluxus, quo crux similis aquæ, qua nuper muctatae animalis carnes ablutaæ sunt, alio effunditur: spurius vero seu nothus ipsis fertur esse, quum deiecto latice varia alterius indolis recrementa, velut bilosa, purulenta, mu-

C

cosa

^{o)} FRID. HOFFMANNVS loc. cit. §. XXV.

^{p)} Consult. & respons. medic. Tom. I. Cent. III. RIVERIVS loc. cit. IVNCKE-RVS loc. cit. SENNERTVS.

cosa aut sanguis niger , crassus , veluti congelatus , hæ-
reant intermixta . An vero haec distinctio tanti facien-
da , quanti nonnullis scriptorum forte fuerit visa , maxi-
me quum a sola excrementorum diuersitate , quæ tantum
accidentalis est , perita : id aliis ingenio & sagacitate acu-
tioribus relinquam diiudicandum : BIANCHI certe ea
minus probata visa est q).

§. XV.

Verum ipsi huic iam nominato Auctori placuit ali-
am huius morbi diuisionem suppeditare , qua illum in flu-
xum hepaticum distinguit *criticum* & *symptomaticum* , quo-
rum ille aliis subinde morbis , cum primis febribus acu-
tis continuis , salutari plerumque euentu superuenire di-
citur : hic vero , qui hepatis oppilationi συμπτωματικῶς ac-
cedit , vt plurimum funestus declaratur r). At vero
quum hæc a BIANCHI allata hepaticæ dysenteriae distin-
ctio nihil argumenti habeat : quia hæc alii fluxio , quæ
hepatica audit , quando iecori infarcto aut oppilate acci-
dit ; semper solummodo symptomatica existit , cuius
tam necessarius est cum affecto iecinore nexus , quam in-
ter causam eiusque effectum deprehenditur . Videtur
proinde hic magni nominis vir iecinorosam hanc fluxio-
xio nem cum cruenta ista alii egestione , quam supra
αἰματηρά vel sanguineam appellauimus , commiscuisse ,
quippe de qua apertissimis planissimisque verbis ostendit-
i , omnino accidere interdum , vt per eiusmodi sanguini-
nolentas diarrhoeas , si hominibus , febribus ardentibus ,
aliisque continuis acutis conflictantibus , aut etiam aliis ,
qui nimia sanguinis copia gaudent ; propter delicatam &
viii-

q) loc. cit pag. 461.

r) BIANCHI ibid. pag. 462.

vmbratilem vitam , aut grandius quoddam mutilatum membram , vel ob necessariae solitaæque euacuationis suppressionem , oboriantur , dummodo tempestive superueniant , mali vis ~~uertimōs~~ infracta prorsus tollatur . Quemadmodum quoque hoc non nullis exemplis , in obseruatorum scriptis passim obuiis , confirmatum dedi . Quæ quum ita sint , liquido cerni poterit , puam ob rem in hac fluoris hepatici distinctione BIANCHI sententiaæ subscribere nequeam .

§. XVI.

Intellecto , quid hepaticæ dysenteriae discriminis cum reliquis abui profluuii intercedat , & qui ea diuidi soleat ; in rem quoque erit nostram , ad ipsas causas , quæ hunc morbum arcessere valent , deuenire . Quum vero quædam sit continuatio seriesque earum , vt alia ex alia annexa & omnes inter se aptæ colligataeque videantur ; non male acturus mihi videor , si a proxima huius mali causa , vnde cuncta , quæ hunc morbum comitari solent , syndromata , tanquam ex equo Troiano , prodeunt , incipiam . Est vero vnuis omnium , qua antiquorum , qua recentiorum , si a paucis quibusdam discesseris , Medicorum sensus , radices huius mali in ipso hepate esse altissime de fixas , vnde omnia cetera , eidem arcta propinquitate coniuncta , egerminent . Veteres culpam conferebant in huius visceris imbecillitatem , vnde facultates eius , in primis alteratrix & retentrix , vsque adeo essent debilitatæ , vt nulli alii sanguini , nisi seroso & aquoso , elaborando habiles forent . At recentiores , vetere hac opinione , de fictis illis facultatibus , reiecta & relegata , per extispicia in ipsis apertis cadaueribus eorum , qui eiusmodi fluxibus interierunt , adornata , didicerunt , veram

hepatici fluxus originem ac fontem omnium præcipue
in iecinoris parenchymate scatere, vt pote quod in ple-
risque hoc morbo extintis, & post obitum euisceratis,
vt plurimum læsum, erosum, corruptum ac putre; quid?
quod eodem tabo, loturæ carnium simili, quod æger
vivens per aluum reddiberat, scatens velutque diffluens,
fuit repertum, quemadmodum id complura exempla,
in obseruatorum monumentis disperse obvia, fecerunt
testatissima.

§. XVII.

Vt igitur eorum, quæ de germana huius mali
in hepate sede traditi, certitudinem eo magis adstrua-
mus, non incommodum erit, nec ascopo, quem nobis
præfixum habemus, alienum, ex insigni obseruationum
penu paucas easque potissimas hoc loco delibare; iis
enim cognitis, minus difficile erit, ipsos riuos, quibus
talis subcruenta illuies in intestina confluat, detegere.
Qui primus obseruationem notatu affert dignissimam,
est IAC. BONTIVS, qui de milite quodam gregario,
hepatis inflammatione tentato, cui, omnibus auxiliis in-
cassum adhibitis, refert, quod hepaticus ei successerit
fluxus, vnde tumor quem in dextro hypochondrio an-
tea habuisset, euanuerit, tandem autem mortem obierit.
Secto cadavere, loco hepatis, solam membrum istud
vestientem, eamque satis crassam, instar succi inuenit,
cui adhuc portio faniei, carnium loturam referentis, &
nihil ab ea, quam per longum tempus aluo effuderat,
abludentis, in hæsit, argumento sane vix vlo testiori,
huius mali nidum in ipso hepate delituisse ^{s)}. Aliud
exemplum

^{s)} Medicin. Indor. Libr. III. obseruat. IX.

exemplum huic fere simillimum apud IORDANVM reperitur, vbi ægrotans post præuiam dysenteriam proprie ita dictam, hepatica fluxione legitur correptus, qua absque intermissione purus atque impermixtus crux, interdum carnis loturæ haud absimilis, fuerit deiectus. Cadauere post obitum disseclo vniuersum iecur, instar pomi fracidi corruptum & putrefactum est deprehensum, ita ut iniectorum digitorum vestigia ostenderit t). Sic quoque multos BALLONIVS obseruauit, qui graui quodam & chronicō morbo diu conflictati, denique sub finem eius, hepatica profusione affecti sunt, in quorum cadasueribus incisis iecoris parenchyma colliquatum & consumptum semper apparuit u). Plura quidem eiusdem valoris exempla in rei medicae scriptorum libris obuia, recensere & sic vberius confirmare possem, quod in cadasueribus eorum, qui iecinorofo profluuo interierunt, quam saepissime hepatis viscus iuuentum fuerit vel obstructum, atque inflammatione incensum, vel subcruenta sanie redundans, vel plane dissolutum & colliquesfactum: Verum quum pauca allata sufficient, & satiis probent, semen hepaticæ fluxionis in iecinoris plerumque abditis esse iactum: tum multitudine & prolixitate supersedere possumus.

§. XIX.

Ex allatis quoque animaduersionibus cuique erit spectatissimum, proximam nostri mali causam, non posse esse villam alium, nisi infarctum quendam aut oppilationem hepatis, quæ, suborta inflammatione nec discussa, vel in schirrum, vel, quod in nostro morbo solen-

C 3

nius

t) IORDANVS Cap. XIX. de pestis phœnomen.

u) Libr. I. Consil. LIII.

nus & frequentius deprehenditur, in abscessum desinit, quo eius substantia, sensim liquata, consumitur. Tametsi vero in progignenda hepatica dysenteria iecori priorem potioremque labem præ reliquis in abdomine occlusis visceribus, detulerim: noli tamen putare, cunctas ceteras in abdomine reconditas partes propterea omnino a me excludi. Ipse lubens largiar, posse vtique aliquando fieri, quantumuis multo insilentius, vt huius calamitatis fons in aliis etiam interdum visceribus, veluti in pancreatico, vel mesenterio occultatus scateat, omnium maxime, quum etiam ex hisce visceribus via satis trita ad intestinorum cauum fertur, quæ sanguini aditus ad ea patet. Nec defunt obseruata, quæ nobis huius rei fidem faciunt, vbi hepatici profluuii minera dictis visceribus fuit offensa. Euoluat eiusmodi casus lecturus BONETI *Anatomiam practicam*, qua variae obseruationes, id haud sane obscure testantes, prostant.

§. XIX.

Perspecta ista parte, in qua luctuosum hoc malum suam sibi sedem & visitatissime & frequentissime, figere solet; & intellecta eiusdem causa proxima; nunc ulterius quoque expendere operæ erit pretium, vias illas, quibus *ιχωροειδη* iste latex, quem ægroti deiiciunt, ex recessibus hepatis interioribus ad intestina permanat. Veteriorum ea erat sententia, hepar, propter languorem facultatem retentricem, serosam sanguinis partem per venas meseraicas ad intestinorum sentinam transmittere, vbi tanquam humor inutilis alio expelleretur. Recentiores vero hanc maiorum hypothesin legibus circuli sanguinis aduersari putant, quia crux per commoratas venas ab intestinorum voluminibus hepatis ad porta-

portatur, ideoque in aliam sententiam abierunt, contententes, cruorem in iecinore subsistentem, sensimque accumulatum, quum per venæ cauæ radices redire non posset, parte quadam, eaque tenui & serosa, instar fluminis, aliud sese effundentis, pedetentim poros biliarios inundare, vnde inductum choledochum communem delata intestinorum compluuiio infunderetur. Dum vero vasculosa iecoris textura, & in primis biliarii pori, a sero exundante hoc pacto sensim relaxarentur, ipsis denique purpureis globulis facilem viam atque expeditam sterni, per dictos bilis meatus, cum sero isto ad culinæ animalis sentinam permeandi, vbi specie liquidi cruendi, plurimo sero perfusi, ano extruderetur. Quibus proinde, consulo compendii tactis, cuius erit perspicuum, quo itinere serosus ille crux, quem ægri in hoc morbo per aluum egerunt, ex hepatis interioribus ad intestina ferri statuitur α).

¶ XX.

Etsi vero ipse cum recentioribus affirmo, eorumque sententiæ, cui nihil obscurum, & a veritate alienum inest, subscribo, concedendo, posse vtique subcruentam istam proluiem a vasis biliaris ex hepate absorberi, perque choledochum ductum in intestina ferri, præcipue quum nihil obster, quo minus hoc subinde fieri queat, insuper memorabilis illa obseruatio, quam supra ex BONTIO adduximus, id adeo testatum facit, vt nefas esset, de eo dubitare: nullus tamen vereor, præter hanc modo ostensam viam, aliud iter, quo, vt mihi videtur, multo

α) BRENDELIVS Dissert. cit. §. VIII. BOERHAAVIVS Aphorism. §. 936.
N. 3. BIANCHI loc. cit. pag. 458. IOH. HENR. KRAMER. Dissert. de
singul. hepat. human. Præsid. GOELICKE habit. §. XX.

Dissertatio inauguralis medica

multo crebrius ac frequentius quam forte creditur, intestina intrare valet, vindicare, quod ipsa *vasa mesenterica* sunt. Solertissimus quippe RVYSCHIVS iam pridem, admirando suo vasorum corporis iniiciendorum artificio, omnium oculis commonstrauit, meseraicas arterias vltimis suis furculis, incredibili multitudine per flexuofos intestinorum ambitus diffeminatis, in ipsorum caua ita dehisce, ut ceracea quoque fartura, quoties dictas arterias impleuit, toties in eorum penetralia facile satiis expediteque ex stillata sit^y): hinc etiam non illepede existimat, nihil impedire, quo minus idem aliquando fieri possit, in vasis vel præternaturam redundante, vel ctitiori motu per ea circumacto. Nec ab illo dissentit splendifidissimum illud rei medicæ & anatomicae lumen, ALBINVS, perspicuis verbis tradens, tam arctissimo nenux meseraicas arterias cum venis eiusdem cognomini esse coniunctas, vt, alterutra cereo liquido duntaxat referta, illud continuo *ἀπέρως* ex arteriæ propaginibus in venae ramulos, vel versa vice ex his in arteriæ furculos, transeat; imo extremos tum arteriæ, tum venæ meseraicæ ramulos ita in intestinorum canalem patere, vt eorum oscula ceræ inditæ satis pertuia sint. Etenim, vasis hisce cera refertis, iucundissimo spectaculo, in apertis intestinis, eam hiantibus vasorum orificiis ex sudatum vedit veluti in vermium modum, capitula sua totidem foraminibus exserentium z), id quod etiam R V Y SCHIO similiter oculis usurpare contigit.

§. XXI.

y) Epist. anatom. XI de intestinor. tunic. & glandul. item aduersar. Anatom. chirurg. Decad. II. IV. de Mesenter. vt & Thesaur. anatom. II. aſſer. III. N. XIV. not. 2; nec non Thesaur. anatom. VI. aſſer. I. N. XXXIII. & Thesaur. anat. IX. aſſer. V. N. LXXXI.

z) Dissertat. in augural. Anno 1722. Lugduni Batavor. habita.

§. XXI.

Quæ cum ita sint, non sane perspicio, cur eiusmodi ichorofa cruenta nec ex ipsis meseraicis vasis in intestinorum compluuium subinde manare statuamus? quum nihil obster, quominus sanguis his vasis æque facile, atque adeo multo expeditius, quam per biliarios ductus, intestinis infundi queat. Quodsi enim sanguini, per dietas meseraicas venas ad iecinoris abdita adeunti, propter huius visceris obstructionem aut infarctum, liber atque expeditus eo aditus intercludatur, cuius spectatissimum erit, fore hoc pacto, ut crux redire nescius in commemoratis venis subsistat, sive illis vitalibus liquidis, quæ per arterias mesentericas a tergo succedunt, moram atque impedimentum iniciat: hinc aliter non fieri potest, quam ut tenuior magisque serosa portio a sanguine, in meseraicis vasis retardato & satis prompte reuerti impedito, pedetentim secedat, ultimos eorum surculos, quos in intestina secundum naturam hiare perhibui frequentissimos, copiosius iusto affluentiusque sensim intrans. Quo efficitur, ut non largius modo & cumulatius intestinorum alueo illabatur, sed paulatim quoque ipsos hos canaliculos usque eo dilatet reddatque ampliores, ut ipsis tandem coccineis etiam globulis per eos facilis detur ad intestina aditus; qui proinde initio portioni serosæ confusi rariores, eiusmodi serosum pariunt cruentem, carnium lotaræ simillimum, quem ægroti alio efferre solent; verum, extremis illis vasculis tractu temporis plus diductis & amplificatis, copiosiores eidem sero admixti & affluentiores, proluiem gignunt magis cruentam & rubicundam, ita ut denique, prout viae hæc plus

D

minus-

minusue fuerint distentæ, sincerus velut crux, variis coloribus tintitus alio ciiciatur.

§. XXII.

Ex quibus ergo de vasorum meseraicorum hiatu & apertura iam breuiter dictis, haud obscure constabit, binas dari vias, quibus eiusmodi diluta, quæ in nostra dysenteria alio excluduntur, intestinorum cloacæ inferri possunt & subinde solent, alteram difficultorem atque iniustitatem, videlicet *biliarios ductus*, alteram vero longe expeditiorem, magis compendiariam, &c., vt opinor, triuiorem, ipsa nimirum *meseraica vasa*, perinde patula in que intestinorum cauum dehiscentia, atque illi canales, qui felli ex hepate in intestina deducendo inseruiunt. Quo nomine valdopere miror, celeberrimum BIANCHI antiquorum auctoritate vsque adeo captum, nedicam occæcatum, esse, vt rubello isti sero, speciem aquæ, qua carnes recenter mactatae sunt ablutæ, præ se ferenti, nullas alias, nisi solas biliarias assignet vias, quibus ab hepate ad intestina permearet & transiret; quum tamen nihil sane impedit, quominus cruenta hæc materies æque prompte atque expedite, velutque compendio maiori, ex mesenterii ductibus sanguineis in intestina identidem effluat, atque exbiliariis meatibus. Neque est, quod iætorofam istam amurcam, in hepatico hoc morbo ferri solitam, cum aliquibus a vasis hæmorrhoidalibus arcet, quippe quorum nulla secundum naturam, est apertura & hiatus in intestina, etiam si non negamus, posse utique fieri, vt ipsæ hæmorrhoides huic fluxui interdum superueniant, seque ei comites adiungant, aut demum, si iam res conclamata fuerit, succedant quemadmodum id inde efficere sustineo, quod hæc deiectio tempore

temporis diurnitate varias subire soleat mutationes. Quæ enim ab initio manauit illuies, carnium loturæ omnibus dotibus spectabatur simillima; vasis autem sensim plus diductis & dilatatis, colore & consistentia sanguini velut limoso, faculento inque grumas coacto proprius accessisse deprehenditur, nouissime tandem cruxi spisso, atro, a pice liquida nihil abludenti simillima obseruatur, cuiuscemodi plerumque hæmorrhoidalia vasæ eructare consueuerunt, quemque veteres eo nomine bilem atram vocare solent.

§. XXIII.

Hæc qui æqua animi lance perpenderit, quæ de scatebris, vnde cruentus iste liquor nostro in morbo delabitur in intestina, nullo perspicet negotio, quid causæ subsit, cur, incipiente morbo, serofus duntaxat humor, exiguo purpurei cruxis perfusus, ventre eiiciatur; eodem vero ætate progreſſo & radices agente altiores, liquidum magis rubicundum, quin etiam nigrum & atrum deiiciatur? Quid? quod quam ob causam in dies fere illud copia haud sane exigua alio efferrī soleat? cuius profecto facillima est ratio, si suscipiamus, sanguinolenta ista, quæ per fedes effunduntur, ex meseraicis vasis ad intestina emanasse, longe contra difficultior, si ea solis biliferis ductibus accepta referemus, quippe qui tantæ cruentorum multitudini adferenda & & intestinis committendæ, quantam ab ægrotis subinde alio excretam videmus, haudquaquam soli sufficiunt. Quodsi vero ingentem illum vasorum numerum, quibus meseraicum scatet, paulo proprius intueamur, nihil erit facilius, quam rationes horum phænomenon reddere liquidissimas. Ne autem ceteras, quæ humorum sta-

D 2

gnationi

gnationi ac stasi in recessibus hepatis penitioribus viam persæpe sternere solent, causas, in Medicorum foro antecedentes & remotiores appellatas, taciti prætereamus, haud in consultum erit, vel eas hoc loco breuiter attinere, ne quid forsitan ad pleniorum nostri morbi *αἰτίοις* pertinens neglectum a nobis vel omisum videatur.

§. XXIV.

In censum vero talium causarum, quæ hepatis parenchymati eiusmodi liquidorum vitalium stagnationem *ἀπέσως* comparare valent, omnium præcipue cuncta ea duco esse referenda, quæ vel ipsam vasculosam iecinoris texturam ita vel destruunt atque evertunt, aut certe labefactant & infringunt, vt de suo statu, robore & tono derurbata vitalibus liquidis porro transmittendis & prudentis haud aptum atque idoneum esse soleat; vel ipsi sanguini eiusmodi dotes affectionesque induunt, vt aut plane ineptus, aut saltem minus appositus sit, ad hepatis vasa satis prompte & sanitati conuenienter perlabenda & transienda, qua ratione non aliter fieri potest, quam vt suo per ea itinere vel moram trahat diuturnorem, quam pro valetudinis prosperitate, vel omnino in iisdem subsistat, vnde hoc viscus aut nimia humorum copia oppletur atque infarcitur; aut iis via & transitus per illud intercipitur, quibus deinde hepati eiusmodi infaretus, seu oppilationes, foecundissimæ inflammacionum generatrices, conciliantur.

§. XXV.

Quæ vasculosæ iecoris compagi & substantiæ vim ac labem inferre solent sic vt attenuata suoque de statu deiecta sanguinem, per venam portarum aduentum,

& tum, in motum profluum concitare non valeat; ea potissimum sunt casus, lapsusue, ictus, percussio, contusio aliaque huius generis similia, dextro hypochondrio violenter subinde vndelibet accidentia, quibus mollissima huius visceris vasa vsque adeo contundi, confringi, intorqueri, debilitari destruique possunt, vt ad vitalia liquida neque coercenda, neque traicienda & motu cienda seu agitanda, non amplius idonea sint aptaque. Hinc quisque haud difficulter cognoscet, hepate tam grauiter ab eiusmodi laesioribus externis affecto debilitatoque, crux in eius interioribus aut omnino consistendum esse, aut certe diutius iusto tardandum & commorandum, vnde huic visceri infarctus atque obstrukiones exoriantur, vtique necesse est.

§. XXVI.

Quod vero ad istas dotes, quæ purpureis liquidis identidem vsu venire & iecinori tam infarctus, quam oppilationes, conciliare consueuerunt attinet, iis non villas cupiam alias intellectas quam sanguinis abundantiam seu plethoram, & præternaturalem spissitudinem, vtpote quæ feracissimæ variarum obstruktionum atque inflammationum procreatrices obseruantur. Et enim nimiam sanguinis copiam, quemadmodum universis aliis corporis humani visceribus obstruendis atque inflammandis, ita hepatis quoque vasis occludendis, incendensque esse accommodatissimam, cuius liquido apparebit diligentius ea expensuro, quæ portarum vena præter alia habet præcipua, nec tardiorem illum motum, quo crux per hanc venam, constanti naturæ lege, cieri hepatique adferri solet. De commemorata quippe vena satis constat, eam nullis valuulis, quarum tamen egre-

D 3

gius

gius in Machinis hydraulicis deprehenditur vſus, eſſe inſtructam, quibus tamen aliae venae ſatis exornatae conſpiciuntur. Deinde omnes illos huius venae ramos, qui toto meſenterio ſparſi cernuntur, intra ſolas binas iſtas membranaceas meſenterii lamellas, multa pinguedine circum fuſos atque occultatos decurrere, vix vllis aliis externis auxiliis adiutos, præterquam diaphragmatis & muſculorum abdominalis. Tum iſpum huius venae trun-
cum, qui ex coniunctione ramorum ſplenici & meſenterici enatus eſt, nullis adminiculis ſuffultum neque vlo-
alio munimento, niſi tenera quadam membrana, *capsula glissoniana* dicta, inuolutum ad iecur deferri, vbi in
ſpatiosum quendam abit ſinum: tandem, præter quatuor
vel quinque conſpectiores ramos, innumerar. multo mi-
nutorios atque adeo minutiffimas propagines venosas ab
hoc ſinu proficiſci, quæ heparis ſubstantiam cum diectis
ramis infignioribus ingressæ, ſeſe in longe plures ſpar-
gunt furculos, ſenſim ſenſimque tenuiores gracilioresque.

ſ. XXVII.

Hæc qui cogitate penitauerit, clarissime inidem
viſurus mihi videtur, quid ſit cauſæ, quam ob rem vita-
lia liquida, quæ ab iſtis in abdomen reconditis viſceri-
bus, ad quæ rami venae portæ pertingunt, omnium ve-
ro præcipue ab iñtestinis & meſenterio redeunt ſecun-
dum naturam tam cunctanter & languide per hanc ve-
nam ad iecinoris penetralia pergaſt? nimis profecto
longus ſermo meuſ eſet; fi omnia, quæ ſanguinis ad
hepar, non dicam per vniuersos venae portæ ramos, ſed
per ſolas tantum meſeraicas venas, vigente ſanitate, pro-
gressum reddere valent diſſiciliorē & lentiorem, hoc
loco explicare coner, præſertim quumq; facile illis intel-
ligi

ligi queat, quæ venæ portæ præ ceteris venis peculiaria ac singularia esse perhibui. Quæ cum ita sint, quemque facile perspecturum mihi persuadeo, cruorem, quum florente prospera valetudine, tam segnis atque impeditus per hanc venam adiecur accedat, multo tardius difficultusque eodem esse peruenturum, tenuesque venulas illas, quæ in hepatis substantiam sparguntur, ingressum, sanguinis copia, toto corpore redundantem eiusque vasa velut infarcente.

§. XXVIII.

Quodsi igitur homo aliquis plus sanguinis, quam pro sanitate & virium, quæ eum in motum concitare debent, modulo in suis vasis alat, nihil ei facilius euenire potest, quam vt sanguis abundans eiusmodi causis procatarcticis accendentibus, quæ præsentem plethoram exagitare & citatori motu per corporis canales ciere valent, magno impetu in vasculosam hepatis texturam vrgeatur & adigatur, vbi, quum, prænimia copia, per angustos sanguineos tabulos iter suum ad venæ cauæ radices non tanta celeritate expedire possit, quanta reliquus a tergo succedens cruor appellitur, vel diutius solito & iusto cunctatur, eandemque refercit, vel omnino consistit seu in stasin ruit, siveque iecinori obstructionem arcessit, cui si inflammatio se adiunxerit sociam, nihil certius, quam hepatis abscessus expectari potest, qui, quum in loco hæreat, inaccesso, cui auxiliatrices manus admoueri queunt nullæ, pede tentim hepatis parenchyma arroden- do atque exedeendo conficit & consumit, vnde illa calamitas, quæ vomica hepatis vocari solet. Qua exorta, saniosum, quo scatet, liquamen per biliarias vias intestinis infundi, compluribus iisque præclarissimis medicis

non

non solum statuitur, sed apud rei etiam medicæ obserua-
tores sparsim legitur. Quodsi vero solus infarctus vel
obstructio, nullo subseguente incendio, iecur occupau-
erit, vero videtur similius, sanguinem, a mesenterio &
intestinis per venam portæ hepatis alluentem, suscepto
sibi itinere per iecoris viscus, ad intestina esse ruiturum,
&, qua data porta, in eorum compluuium effluxurum.
Ex modo adductis ergo cuius erit perspectu facillimum,
quid nimia sanguinis vis & moles persæpe valeat ad in-
farctus atque oppilations hepatis inducendas.

§. XXIX.

Cognito eo, quod plethora, si fuerit excitata, hepar
subinde opplere vel plane occludere queat; nullius quo-
que erit difficultatis, animo comprehendere, qui crux
spissus & glutinosus eadem mala huic subinde visceri in-
ferre valeat. Nam quum sit ostensum, venæ portæ ra-
mos, qui per iecoris substantiam disseminati sunt, in stu-
pendæ multitudinis surculos distribui, sensim sensim
que in multo exilio abeunt & minutiores ramuscu-
los, qui vel in poros biliarios desinunt, vel mutua
in osculatione cum venis hepaticis connectuntur:
sole meridiano clarus inde elucebit, crux, vnde libet
crassiori & tenaciore redditio, nullam intercedere propor-
tionem cum tam angustissimis & subtilissimis vasorum
propaginibus. Quodsi itaque tam spissus viscidusque
crux, velocitate maiori, quam pro naturali sanitatis ra-
tione, per venam portæ in vasculosam iecoris compa-
gem compellitur; nihil certe dubii est, quin in vasorum
angustiis per hepar excurrentium diutius æquo sit com-
moraturus, aut plane gradum staturus & quieturus, vn-
de huic visceri aut infarctus aut oppilations oriantur,
omni-

omnino necesse est. Id quod tanto facilius iecinoris parenchymati euenturum nemo non clare videbit, si humorum spissitudo societatem cum plethora coiuerit.

§. XXX.

Postquam igitur præcipuas hepatici fluoris causas antecedentes, quæ in aëre deducuntur proximam huius mali ex se progignere assolent, fini nostro sufficienter spectatas habuimus & cognitas, instituti ratio exigere videtur, vt de ipsis quoque causis, quæ antecedentem ad effectum suum edendum incitare valent, propter eaque procatarcticarum seu occasionalium nomine in medico foro appellari solent, quales sunt omnia calefacentia & sanguinem valde commouentia, velut potulenta spirituosa atque inebriantia, aromata varii generis, alimenta acria, stimulantia, & calida, variæ commotiones & affectiones animi, vehementiora corporis exercitia, neglectæ aut intermissæ sanguinis excretiones, alias eiusmodi hominibus solennes, pluraque huius generis alia, hoc loco quædam subtexere studeamus: at vero quum eæ in omnibus fere libris, qui de morbis eorumque causis diuulgati prostant, explicatores legi possint, actum agere ego mihi viderer, hic enarraturus, quæ istic vberius forsitan fusisque exposita inueniri queunt, maxime quum dissertatiois ratio, id prohibeat. Ex hac idcirco causarum consideratione & contemplatione haud obscure dilucebit, quæ inanæ sibi animo finixerit species prisca vetustas, proximam huius affectus causam in eiusmodi imaginarias conferens facultates hepatis debilitatas, quibus in re nihil est argumenti. Tametsi vero hæc antiquioribus facile condonanda, vt pote sanguinis circuitus, tunc temporis nondum detecti, plane ignaris atque insciis: mihi tamen

E

men

men nec eorum, qui a nostro ævo propius abfuerunt, sententia probari potest, proximam hepatici fluxus causam abundantia sero, sanguinis massæ intermixto & vasa relaxanti, adscribentium, idquod SYLVIVM atque ET-MVLLERVM fecisse: statim in limine huius dissertationis innui, quibus nec multum ADAM BRENDELIVS ablusisse videtur, nullam veriorem huius mali causum statui posse proximam sibi persuadens, quam cruentem ferosum & cacockymicum, variis sordibus peregrinis & crudis inquinatum auctumque. Et profecto difficilius extum, quam principium, inuenire mihi liceret, dissidentes auctorum sententias de proxima iecinorosi fluxus causa hic recensuro, quas exponere singulas, neque instituti ratio fert, neque nostra quoque multum interest, nobis satis esse potest dixisse, quas nos huius morbi germanas verasque causas, tum proximus tum remotiores seu antecedentes agnoscamus.

§. XXXI.

Nec obscure liquebit, quam propinquia cognitione hepaticus hic fluxus aliquando haemorrhoidibus sit annexus, ita, ut obseruatorum fide, vel interdum cum his alternet, vel, quod crebrius obseruatur, in eas abeat, quemadmodum id pluribus documentis, si vsus fuerit, cuius ante oculos facile ponи posset, nisi dissertationis magnitudo hoc fieri vetaret. Quid? quod hinculenter ex eodem etiam apparebit, cur illi præceteris homines ad hepaticam hanc dysenterium maxime sint proclives, qui haemorrhoidal fluxui apti existunt atque obnoxii; quales omnium præcipue esse animaduertuntur, qui temperamenti cholericofanguei, aut melancholico-fanguei sunt: Etiam si haud equidem abnuero, nostrum morbum perinde, atque

que hæmorrhoidalem fluxum, nec aliis subinde temperamentis parcere. Quo nomine consentaneum est hæmorrhoides, si tempestive eiusmodi ægrotantibus superueniant riteque succedant, hoc malum nisi illud forte iam magna ceperit incrementa, esse auersturas vel sublaturas. Hinc appareat quoque, cur non nulli medicorum cum PAVL. BARBETTE, DECKERO aliisque hunc hepatis fluxum, pro apertione vasorum hæmorrhoidalium superiorum seu internarum habere & venditare non dubitarunt, quum tamen ab hæmorrhoidibus distet seu differat, vt ex relata huius morbi historia liquido perspicere licet.

§. XXXII.

Tandem nihil aliud restat, nisi vt ipsam huius afflictionis medelam subnectam, cuius cardo quum in eo potissimum vertatur, vt incipiens iste infarctus aut obstrutio, quæ hepatis viscus occupatum tenet, mature & prius, quam radices egerint altiores, conuenientibus auxiliis extirpentur; id quod in monumentis illorum scriptorum, qui de curundis morbis aliquid memoriæ mandarunt, quum vberius fusiusque conscriptum deprehendi queam, satius duxi ea, quæ istic passim legi possunt hic silentio præterire & generaliora tantum hic commemo rare. Videlicet in leuiore seu incipiente hepatis vitio plethoram per frequentes venæ sectiones imminuere, spissitudinem autem humorum per copiosa diluentia attenuare conuenit. Deinde infarctum seu incipientem scirrham collectionem resoluere & discutere, ac in eum finem radices & herbas resoluentes cum blandis laxantibus iungere, nodulum vino immergendum præparare & hoc infusum resoluens atque laxans interne propinare, externe

ne autem emplastra aut epithemata sicca resoluentia & discutientia hepatis regioni imponere, denique facta feliciter discussione tonica interna remedia subiungere artis est. In statu autem obfirmato irritus plerumque omnis est labor: conuenit tamen eandem curationem in qualemcunque spem instituere. Ceterum nullo modo tacitus prætermittere possum, id esse ingenii huius morbi, vt, nisi tempestivit, & vbi nondum inueterauerit, ei debitis & salutribus præsidiis subueniatur, non certe vlla spes ei radicitus extirpandi super sit. Qua propter ista exempla, vbi hoc morbi genus funditus ablatum fuit, tam rara sunt, quam quæ rarissima. Plurima quidem sunt atque in obseruatorum libris obvia testimonia, de iecinorosa fluxione felicissime curata: verum subdubito, an omnes isti morbi, hepatici fluxus nomine qui ab obseruatoribus litteris proditi extant, vere tales vnquam fuerint, quales nobis sunt venditati, anne potiore iure diarrhoeæ censendi sanguineæ. Quocirca de ista mihi etiam nunc dubium est hepatica dysenteria, quæ interdum aliis morbis, velut febribus quibusdam acutis continuis, cumque primis ardentibus, salutari euentu, & per motum criseos, superuenisse; aut præviæ dysenteriae κατ' ἐξοχὴν sic dictæ successisse narratur, an vnquam genuina & vera hepatica fuerit profusio, nec potius simplex tantum cruenta diarrhæa? quam eo etiam nomine iam a veteribus, atque adeo antiquissimis, rei medicæ principibus, αἱματηγεῖα siue αἱματῶδη δυστέγαια vocatam fuisse, supra pluribus ostendi.

§. XXXIII.

Vix enim quicquam, si verum fatear, in medendi arte obseruantur solennius, quam quod sanguinea ista diarrhoea facillime a medicis, vel doctissimis, cum hepatica

tica dysenteria subinde confundatur ; quemadmodum eam quoque haud insolenter cum hæmorrhoidibus fluentibus misceri , & pro vno eodemque affectu haberit vidimus : quum tamen cuncta hæc cruentæ egestiones multum inter se diffideant, quemadmodum id ex supra dictis clarius dilucescit . Hinc quoque est, cur complures & veterum & recentiorum , qui de nostro morbo aliquid voluerunt mandatum litteris ; quum ex illa confusione semet non ita, vt in votis iisdem fuerit, expedire seu extricare potuerint, ei quam optime consuli posse rati sunt, si hepatis dysenteriam in veram & spuriam distinguerent, quarum illa serosum duntaxat & aquosum cruentem, carnis loturæ haud absimilem, alio effundere fertur : hæc vero sanguinem sincerum ac purum aut aliis sordibus remixtum , ventre exturbare scribitur, quæ distinctio quamuis BIANCHI minus placuerit, tamen quum nec se perplexa illa notione de diuersis hisce sanguinolentis deiectionibus exsoluere valuerit, aliam, nisi deteriorem, certe tamen priore nec meliorem , in eius locum surrogavit, hepaticum fluxum in criticum & symptomaticum discernendo . Ex quibus proinde facile scilicet apparitum crediderim, dissidentes hasce alii deiectiones pluribus medicis haberi promiscuas, quod vberius expeditre ex facili foret singula auctorum nonnullorum obseruata adducturus.

§. XXXIV.

Quamquam vero paulo ante perhibui, magnam esse eorum exemplorum raritatem, vbi hepatica dysenteria, si altas iam agerit radices, fuerit omnino curata & sublata. Noli tamen ideo putare, hoc promiscue atque indiscriminatim de quolibet iecoris fluxu valere. Ipsemet lumen

E 3

bens

bens concedo, eum vtique, dummodo non nimis diu du-
rauerit, aliquando esse artis beneficio sanabilem , quem-
admodum quoque illud varia exempla, apud obseruato-
res hinc illinc obuia, abunde testantur. Ut ex pluribus,
quæ nobis testimonio esse possunt, exemplis, vnum tan-
tum afferam, quod mihi infar omnium sit, placet singu-
larem istum neque adeo frequentem casum, qui profecto
dignus, vt hic commemoretur, subiungere, cuius specta-
tæ Vir integratæ & præclare eruditio, Experientissi-
mus Doctor GEORG. CLACIVS, meminit, de viro quo-
dam generosis natalibus claro, quatuor & quadraginta
annos nato , macilentioris corporis habitus & tempera-
turæ cholericæ-melancholicæ, qui cum antea aliquamdiu
hæmorrhoidibus non tamen rite nec satis copiose succe-
dentibus, esset afflictus; factum, vt easdem tandem ex-
ceperit dysenteria hepatica , per integrum fere annum
ægrotum affligens , ita vt inter desidendum semper fere
aquosum quoddam liquidum, pauxillo cruento tinctum,
carnium loturæ simillimum, aluo deiecerit, cum tanto
corporis marcore viriumque lanuore, vt hominis rabe
seu heætica affecti planeque confecti speciem præ se tule-
rit. Qui quamuis ipsem saluti pristinæ recuperandæ
desperaret, nihilo tamen secius conuenientibus & salutari-
bus remedii in usum vocatis & adhabitatis, cura & vi-
gilia huius Doctoris, cum sanitate in gratiam rediit, quem-
admodum illud ex litteris ipsis, ab hoc ægroto , sanitati
restituto, ad iam nominatum Medicum scriptis, videre
& legere mihi licuit *a)*.

§. XXXV.

Commemorabili igitur hoc , de hepatica dysenteria,
exem-

a) Consil. medic. Part. I. Cas. III. pag. 9.

exemplo, omnium oculis testiori, quod in medium iam protuli, nemini non spectatissimum erit atque exploratissimum, eam vtique aliquando armis medicis esse expugnabilem, dummodo incipienti hepatis obstructioni ~~eu~~ subfidio eatur, nec vsque eo expectetur, dum radices fecerit altiores; hoc enim facto, vix ac ne vix quidem villa extanto malo emergendi spes ægroto relinquitur. Deinde cuius intellectu nec difficile erit, illum hepatis fluxum, qui proximam sui causam iecinoris solummodo infarctum agnoscit, faciloris multo curationis esse futurum eo, qui ab hepatis oppilatione, præsertim iam obfirmata suos duxerit natales; quemadmodum hæc nullo fere negotio dare possem explicatoria, nisi breuitatis ratio mihi foret habenda. Lubens quidem fateor, complura de hoc morbo restare perquam digna, quæ illustriore interpretatione & declaratione Benevoli lectoris oculis & menti subiicerentur; sed tempus iubet, vt pedem figamus, dicendique obtineatur.

F I N I S.

NOBI-

VIRO,
NOBILISSIMO CLARISSIMO
FRIDERICO GOTTHILF
GEORGI
CANDIDATO LONGE MERITISSIMO
S. D. P.
PRÆSES.

Non vulgari omnino via graffatus es, CANDIDATE dignissime, qui erudita Dissertatione TVA morbum quempiam explanaueris procul dubio quam vexatissimum. Quicunque enim indolem & causas Fluxus hepatici rite penitauerit, facile, ut opinor, olfaciet, quot quantisque repletum difficultatibus solida eius ac perfecta curatio prematur. Quem fugit, malum istuc pertinacissimum pro causa proxima præcipue agnosceret seu collectiōnem quandam sciarbosam, sive, quod peius est, statim adeo in iecinore ulceratum? secuti illud accuratius indigitar & fuisse demonstrat doctissimum specimen TVVM inaugurale. Ad me saltem quod attinet, saepissime in eiusmodi casibus omnia tentavi, quae quidem in artis potestate sita essent, sed ut ingenue fatetur, haud raro contigit, ut morbo fere superato, aeger deinceps in præfianam prope relaberetur calamitatem.

Quid multis? Inhaeret huic malo veluti peculiare ac proprium quoddam, ut licet furca, quemadmodum ait ille, id est turissimis pariter ac probatissimis ceteroquin medicaminibus iſtud expellamus, tamen sepe recurrit ac horrissonat canit palinodiam. At vero quomodo demuncunque hac sepe habent, erat tamen hac res, CANDIDATE doctissime, erudita disquisitione TVA multo dignissima. Excitat̄ nimurum felicissime Theoriam antiquorum de hoc morbo in puluerere penitus absconditam, eamque ita doce, ita eleganter cum recentiorum placitis maritifsi, plane ut nihil supra. Equisid igitur mirum, si maxime rationalis Theorie prorsus etiam rationalis respondeat mendendi methodus?

Sane quoties tecum reputo dulcissimos fructus (sit autem illud quidem quam sepiissime) ex medicorum dexteritate überantes, ratus non TIBI solum gratior, CANDIDATE doctissime, qui condecoratus es ornamentis medici laudabilis, verum etiam reprobata, quæ ex opera ac diligentia TVA usum capier profecto überimum. Quam ob rem fruere bonis TVIS, CANDIDATE dignissime, sed ita fruere, ut omnia TVA molimina in agrotorismū salutem ac summi numinis gloriam cessisse videantur. Vale & fave. Dabam in salam nostra pavidus Nonar. Martias cl 16 cxxxviii.

103 () 0 () 88

Zea 4713


ULB Halle

003 901 068

3



SV



12

DISSESSATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**DYSENTERIA
HEPATICA**

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DN. JOANNE JVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO
DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE
AETATEM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD D. MART. ANNO MDCCXLVII.
H. L. Q. C.

ERVDITORVM SVBIICIT EXAMINI

AVCTOR ET RESPONDENS

**FRIDERICVS GOTTHILF GEORG
HALENSIS.**

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.